

theoloneo memorato, omni dubio seu impedimento remoto, quibus dicta praestatio, quae in perpetuum fieri debet, posset impediri vel aliquo modo retardari. Idem etiam praepositus, si qua sibi debita fuerant seu retenta de praemissis, renuntiavit liberaliter ac remisit. Ut autem omnia firma ac illibata omni scrupulo quaestionis seu dubitationis remota permaneant in futurum, praesentem paginam super eo conscribi fecimus ac nostri sigilli munimine roborari. Testes vero huius rei sunt dominus Johannes praepositus in Hayn, dominus Henricus de Burnis archidiaconus Lusaciae, magister Cunradus, dominus Sifridus capellanus, Misnensis ecclesiae canonici, frater Henricus dictus de Rotowe, et frater Wachsmundus laicus ordinis minorum et quam plures alii fide digni. Actum Misnae in ecclesia sanctae Affrae, anno domini millesimo ducesimo sexagesimo tertio, quinto decimo Kalendas Octobris. Datum vero proximo quarto decimo Kalendas Novembris, indictione septima.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem ziemlich wohl erhaltenen Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 195. 1263. 13. Dec. (1264. 7. Jan.)

B. Albert und das Capitel bekennen, dass der Probst Sifrid eine neue Pröbende im Hochstift gegründet habe, diese aber dem Pfarrer Conrad zu Boritz verliehen und derselbe in das Capitel aufgenommen worden sei.

Nos Albertus dei gratia Misnensis episcopus, Sifridus eiusdem gratia praepositus, Gotschaleus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum universis hanc paginam in perpetuum inspecturis. Ut ea, quae mente pia et devota deo de novo fiunt vel instituuntur, ad perpetuam posteritatem sub exemplo perhennis memoriae transmittantur et omnis aculeus pravitatis perversa machinantium penitus auferatur, aequum est et expediens, ut scripturis autenticis, ne quod absit casibus fortuitis caduca fiant, firmissime roborentur. Notum igitur esse cupimus universis tam praesentibus quam futuris, quod dominus Sifridus Misnensis ecclesiae praepositus motus benignitatis et devotionis gratia speciali, ob reverentiam dei omnipotentis et honorem venerabilium patronorum nostrorum sancti Johannis apostoli et evangelistae sanctique Donati, volens cultum divinum in eorundem ecclesia et praebendarum numerum augmentare, de communi consensu omnium, ad quos spectat electio, de novo in villa Scup^a) sita iuxta civitatem Hayn, praebendam sub unius marcae pensione liberaliter instituit puerilem a capitulo nostro ordinandam et locandam secundum ius et consuetudinem a retroactis temporibus observatam et similiter observandam. Nos vero dicti domini Sifridi cum gratiarum actione devotionem et sollicitudinem communiter approbantes, de totius nostri capituli voluntate unanimi et consensu dominum Cunradum de Boruz plebanum, concanonicum nostrum, quem multa idoneitatis merita commendabant secundum formam debitam elegimus ad eandem, deinde eundem recipiendo in canonicum et in fratrem, assignatione etiam sibi facta, ut moris est, a domino Gotschalco decano in praesentia nostrorum fratrum, de eadem confirmatione venerabilis domini Alberti

a) Skaup, Par. Skässgen.